S. Accepi proxime observandissime pater literas tuas maximo animi
mei gaudio per Sesselium, quibus nondum respondi. propter
Examen publicum imminens. valde enim occupatus fui repetendis
lectionibus, quapropter magnopere te oro atque obsecro, ne aegre feras
quod proxime nullas ad te per Martinum piscatorem dedi, qui mihi
tamen nullas exhibuit, nihilominus tuas literas a consanguinea
nostra Magdalena a Schoninga tibi inscriptas ei [illegible] ami-
cus mihi fuit, qui interrogatus a me, quando discessurus esset
respondebat circiter quartam vel quintam propter negotia, sed cum ei
tertia illas quoque domini mei charissimi nam et ille etiam
scripserat traderem, illum discesserat iam, quod quidem moleste tuli
Praeterea notum tibi sit literas illas inscriptas D. Magdalenae, prius
illustrem et religiosum virum Dominum a Risshas per servum suum
misisse ad illam, postquam ex me intellexit tibi curae esse, ut illas cito
accipiat, qui tibi omnia bona tum animi tum corporis precatur,
plurimumque te cum tota tua familia salvere iubet, Scias quoque
pium D. Martham Kößlin ad me scripsisse, quam epistolam
ante octiduum accepi, quam tibi etiam simul mitto, ut ipse
perlegas (conqueritur enim valde in illa conqueritur quod ei
nunquam scribas) mihi vero quam cito poteris remittas, nondum
enim rescripsi, Ut igitur ad propositum institutum veniam, et
respondeam ad priores tuas, scire debes quod primum pactum attinet
de scribendis locis, ut egregie peragam in illis, nam urgens me
opportunum faciunt me sedulam operam dare, Deinde quod me
admones ut ambulem tanquam lucis filius, nec velim unquam deprehendi in
aliquo opere aut facto quod poenam mereatur neque latebras quaeram,
Scias me hac in re quantum potero totis viribus operam navaturum,
~~Scio enim ipse~~ novi, ut Joannes evangelista capite tertio testatur, odium
lucis, et tenebrarum amorem ex eo esse, quia opera hominum
mala sint, ne arguantur, nam qui operam dat integritati venit
ad lucem, quo palam fiant facta ipsius, quod cum deo sint facta,
Sunt enim filii lucis iidem et filii dei, quia christus lux vera
venit illuminans omnem hominem in hoc mundo. Si igitur christus
est lux, nos vero filii lucis, sequitur nos esse filios dei, contra vero
filios tenebrarum esse diaboli filios, nam diabolus origo tenebra-
rum et peccati, quapropter caveo ne unquam deprehendar
tenebrarum filius, adiutus Spiritu Sancto, quo olim in christi
domo velut lucerna super candelabrum coram lucem

tg3.

Praeterea admodum sanctam paternamque admonitionem in pectus
meum inscribam, quam hic recensere non opus est. Accepi autem
quoque 15 die Martij literas tuas domino meo observandissimo
Domino Jani Junio. Dominus Eue a Schöninga, item consangui-
neae meae Magdalenae militique spectatae, quibus me certiorem facis
materni nummisculum aliquod ad me mittere, cum tamen nihil
accipio nec accepi, ij vero qui mihi literas illas exhibuerunt, Sanctissime
negant omnia a te illis credita mihi reddidisse, et id facilius credo quoniam
quidem pedestri itinere huc profecti sunt, te illos noluisse gravare ma-
ioribus oneribus, et deinde etiam bene intelligo quod piscatoribus tuas
literas committere voluisti, sed quoniam nulli ad nos profecti sunt, illis
vectoribus gallis commisisti. Deinde quod Mathematicas disciplinas attinet, ut
quemadmodum coelestium corporum motus intelligere coeperim, sic
animum etiam meum perpetuo ad coelestia feram, superiora quaerat, ubi
Christus sit ad dexteram dei sedens. Scias me hoc serio curaturum.
Postremo oro te ut ipsum coeli dominum per Jesum Christum perpetuis
ac supplicibus votis
pro me implores in quo bene vale. Datae 19 Martij 1555

Jo: Grenseus Blaurerus filius tuus
obsequentissimus.

Domino Ambrosio
Blaurero parenti
suo multum colendo
longeque charissimo.

Bicte
20 martij